

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

COMMUNICATIONES

VOL. XIX - N. 2

1987

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA Pio XII, 10 - 00193 ROMA

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1987

Spediz. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Litterae Apostolicae motu proprio datae, quibus iuris canonici iudicialis ratio in Civitate Vaticana ad recentiores Iuris Canonici leges accommodantur, <i>Quo civium iura</i>	155
Litterae Apostolicae motu proprio datae, quibus Tribunal Appellationis apud Vicariatum Urbis constituitur, <i>Sollicita cura</i>	158

ALLOCUTIONES

Ex allocutione Summi Pontificis ad Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis occasione oblata itineris apostolici	162
Allocutio Summi Pontificis eos, qui conventui nationali studii ab « Unione Giuristi Cattolici Italiani » celebrato interfuerunt, coram admissos	169
Ex allocutione Summi Pontificis eos, qui conventui circa « Il diritto alla vita e l'Europa » Romae celebrato interfuerunt, coram admissos	172

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIUS STATUS

« Legge che approva l'Ordinamento giudiziario dello Stato della Città del Vaticano »	174
--	-----

CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Ex Epistula qua in mentem quaedam normae quoad « Concerti nelle Chiese » revocantur	179
---	-----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studiorum recognoscendis Normis Generalibus Codicis (Sessio V)	182
II. Coetus studiorum « De Magisterio ecclesiastico » (Sessio I)	221

ACTA COMMISSIONIS

Responsa ad proposita dubia	261
---------------------------------------	-----

DOCUMENTA

Synthesis generalis laboris Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici Recognoscendo	262
Novae Bibliothecae apparandae propositum et opera	309
Opera a Bibliotheca Commissionis recepta	310
Index Rerum Generalis	315

Ex Actis Pont. Comm. C.I.C. Recognoscendo

I

COETUS STUDIORUM RECOGNOSCENDIS NORMIS GENERALIBUS CODICIS

Sessio V

(diebus 29 septembris - 4 octobris 1969 habita)

Diebus 29 septembris - 4 octobris 1969, in aula Sedis Commissionis C.I.C. recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas generales Codicis.

Conventibus intererant novem praeclari Consultores necnon Rev.mus D. Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius Adiunctus, qui munere praesidis fungebatur atque Rev.mus Nicolaus Pavoni, Adiutor a studiis, qui munere actuarii fungebatur; praeterea aliquos convenitus participatus est Em.mus Cardinalis Praeses Commissionis.

Quaestio proposita, in hac sessione tractanda, erat: legislatio canonica de temporis supputatione (cann. 31-35) et de praceptis omnibus (can. 24).

Antequam vero de hac quaestione tractarunt huius coetus membra, relationem de priore huius coetus sessione approbaverunt, atque animadversiones nonnullas proposuerunt de aliquibus canonibus titulum Codicis « de dispensationibus » respicientibus, et alias etiam mutaciones introducendas in textu canonum antea admissis approbarunt.


Ad quaestiones de tempisis supputatione et de praceptis omnibus, vota ad Commissionis Secretariam miserunt fere omnes huius coetus Consultores.

I

DISCEPTATIO DE CANONIBUS « DE DISPENSATIONIBUS » IN RELATIONE IV CONTENTIS TEXTUS CANONUM DE DISPENSATIONE IN IV SESSIONE IAM PROBATUS

Canon 1 (80)

§ 1. Dispensatio seu legis ecclesiasticae in casu speciali relaxatio, concedi potest a conditore legis, ab eius successore vel in potestate



legislativa Superiore, necnon ab illis quibus potestas dispensandi expli-
cite vel implicite competit sive ipso iure sive vi legitimae delegationis.

§ 2. Dispensationi obnoxiae non sunt leges quatenus definint ea
quae institutorum aut actuum iuridicorum essentialiter sunt constitutiva.

Canon 2 (81)

§ 1. Ab universalibus Ecclesiae legibus aliisque a suprema Ecclesiae
auctoritate latis pro suo territorio, dispensare valent Episcopi dioece-
sani, ad normam can. 19 (de Episcopis dioecesanis).¹

§ 2. Si difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit
periculum gravis damni, omnes Ordinarii infra Romanum Pontificem in
casu particulari dispensare valent in legibus Ecclesiae universalibus et
in particularibus a suprema auctoritate pro suo territorio latis, de qui-
bus in can. 19 (de Episcopis dioecesanis), etiam si dispensatio reser-
tur Sanctae Sedi, dummodo tamen agatur de dispensatione quam Sancta
Sedes in iisdem adiunctis concedere solet.

Canon 3 (82)

A legibus dioecesanis atque, in casu particulari tantum, a legibus
latis a Concilio regionali vel provinciali aut ab Episcoporum Conferen-
tia dispensare valent Episcopi dioecesani atque Vicarii generales et, intra
fines suaे competentiae, Vicarii episcopales, ad normam can. 5 (de Vi-
cariis generalibus et episcopalibus).

¹ Coetui « de Sacra Hierarchia » canon 19 de Episcopis dioecesanis sequenti modo
proponitur complendus et emendandus:

Can. 19. - § 1. Episcopus dioecesanus in disciplinaribus legibus *tam universalibus*
quam particularibus a suprema Ecclesiae auctoritate pro suo territorio latis, quae ad bonum
spirituale directe ordinantur, tum praeceptivis et prohibitivis, tum irritantibus et inhabili-
tantibus, dispensare valet, in casibus particularibus, fideles in quos ad normam can. ...
auctoritatem exercet, quoties id ad eorundem bonum spirituale conferre iudicet, firmo
praescripto can. 81, § 2, et salvo prescripto § 2.

§ 2. Dispensare nequit in *hunc* legibus in quibus iuris praescripto vel decreto parti-
culari dispensatio Apostolicae Sedi aliive auctoritati specialiter reservatur.

Nota: Ad can. 2 (81), § 2. In votis est coetus « de normis generalibus », ut deinceps
in iure nomine Ordinarii veniant etiam Superiores maiores in religionibus clericalibus non
exemptis, quippe qui in iure condendo potestate executiva, scilicet ad actus administra-
tivos ponendos, instrui possunt relate ad suos subditos. Quod si huic voto non obsecundetur,
can. 2 § 2 complendus est verbis: « ... omnes Ordinarii infra Romanum Pontificem
necnon Superiores maiores in Institutis religiosis clericalibus aliisque eidem aequiparatis... ».

Canon 4 (83)

Parochi, confessarii aliique presbyteri a lege universalis et particulari dispensare tantummodo valent, si haec potestas expresse ipsis concessa sit.

Canon 5 (84)

§ 1. A lege ecclesiastica ne dispensemur sine iusta et rationabili causa, habita ratione adiunctorum casus et *gravitatis* legis a qua dispensatur; alias dispensatio ab inferiore data illicita et invalida est.

§ 2. Dispensatio in dubio de sufficientia causae licite petitur atque licite et valide conceditur.

Canon 6 (novus)

Qui gaudet potestate dispensandi eam exercere valet, etiam extra territorium existens, in subditos, licet e territorio absentes atque, nisi contrarium expresse statuatur, in peregrinos quoque in territorio actu degentes.

Canon 7 (85)

Strictae subest interpretationi non solum dispensatio ad normam can. 50, sed ipsam facutas dispensandi ad certum casum concessa.

Canon 8 (86)

Dispensatio quae tractum habet successivum, cessat iisdem modis quibus privilegium, nec non certa ac totali cessatione causae motivae.

DISCEPTATIO DE SINGULIS CANONIBUS

Ad canonem 1 (80), § 1

Rev.mus Secretarius Ad. aestimat in § 1 huius canonis non fieri sufficientem distinctionem inter potestatem legislativam et potestatem executivam et proponit ut dicatur clare quod potestas executiva complectitur etiam potestatem dispensandi.

At Rev.mus Consultor adest qui censem in ultima parte § 1 ubi dicitur « ab illis quibus potestas dispensandi explicite vel implicite compe-

tit sive ipso iure sive vi legitimae delegationis » inveniri posse solutionem difficultati Rev.mi Secretari Ad., quia hic sermo est de illis qui potestatem exsecutivam habent sive ab ipso iure sive vi legitimae delegationis.

Alter Rev.mus Consultor concordat cum Rev.mo Secretario Ad. et proponit ut loco « conditore legis etc. ... » dicatur « ab illis qui potestatem exsecutivam habent intra limites suae competentiae... ».

Accedit Rev.mus Consultor qui censem potestatem exsecutivam latiorem esse quam potestatem dispensandi; nam, declarat, omnes superiores, etiam Parochus et iudex, habent potestatem exsecutivam, quia debent applicare leges.

Respondit Rev.mus Secretarius Ad. quod Parochi non habent potestatem exsecutivam generalem sed tantum in casibus particularibus. Declarat etiam quod non omnes actus administrativi sunt legum applicationes, ex gr. concedere gratiam non est applicare leges.

Rev.mus Consultor aestimat novam formulam « ab iis qui potestate gaudent exsecutiva intra limites suae competentiae » quam ipse proposuit, magis convenientem esse post Concilium Vat. II ubi datur Episcopis potestas generalis dispensandi.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit novam formulam magis coherere cum can. 5 § 1 (De vicariis generalibus et episcop.) a coetu S. Hierarchiae iam probato ubi dicitur: « Vicario generali, vi officii, in universa dioecesi competit, in spiritualibus ac in temporalibus, potestas executiva quae ad Episcopum dioecesanum iure ordinario pertinet, ad ponendos scilicet omnes actus administrativos, iis tamen exceptis quos Episcopus sibi reservaverit vel quae ex iure requirant speciale Episcopi mandatum ».

Ill.mus Consultor animadvertisit historice explicari textum can. 80 Codicis, quia dispensatio intelligebatur ut exercitium potestatis legislativae. Hodie apte distinguenda est a potestate legislativa potestas dispensandi, quae ad potestatem exsecutivam pertinet. Ideo omnino consentit dictis Rev.mi Secretarii Ad.

Etiam Ill.mus alter Consultor consentit de hac textus mutatione proposita, declarans distincte determinandas esse auctoritates competentes.

Quidam Rev.mus Consultor censem verba « ab eius successore » supprimenda non esse.

Est Rev.mus Consultor qui censem formulam ab alio Rev.mo Consultore propositam « ab iis qui potestatem gaudent exsecutivam... etc. » claram non esse quia hic agitur de iure ecclesiastico non civili.

Ratio: in iure ecclesiastico non adest separatio et divisio potestatum ut in iure civili.

Propterea proponit ut mentio fiat etiam de potestate legislativa, quin excludatur mentio de potestate exsecutiva, et censem in Codice omitendum non esse auctorem fundamentalem dispensationis.

Insistit Rev.mus Consultor, et ad confermandam propriam thesim ponit quaestionem de natura dispensationis et declarat quod dispensatio est vulnus legis non applicatio legis, ergo dispensatio est quasi contra mentem legislationis; propter hoc censem verba a « conditore legis » tollenda non esse quia secus videretur exsecutorem legis posse mutare leges.

Rev.mus Consultor respondet quod dispensatio non est tantummodo vulnus legis sed functionem habet rigorem ipsius legis mitigandi quoties bonum spirituale hoc requirit et insuper in § 2 ipsius canonis affirmatur exsecutorem non posse mutare leges, quia dicitur: « leges quatenus definiunt ea quae institutorum aut actuum iuridicorum essentia-liter sunt constitutiva, dispensationi abnoxiae non sunt ».

Sunt duo Rev.mi Consultores qui proponunt ut a can. (80) 1 tollantur verba « seu legis ecclesiasticae in casu speciali relaxatio ». Ratio: non est de iure dare definitiones.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod causa maioris claritatis non omittenda sunt illa verba quia melius definiunt notionem dispensationis. Nam animadvertisit vocabulum illum adhibetur etiam ad designandum dissolutionem matrimonii rati non consummati (can. 1119), relaxationem obligationum ex voto vel iuramento promissorio (can. 1308, § 3); insuper indicat saepe relaxationem poenae vindicativae (can. 2236, § 1).

Fit suffragatio et maioritas Consultorum, idest septem, consentiunt de formula a Rev.mo Secretario Ad. proposita cum suggestione alicuius Rev.mi Consultoris. Suffragium contrarium afferunt tres tantum Rev.mi Consultores.

Propterea canon 1 (80) § 1 hoc modo mutatur: « Dispensatio seu legis ecclesiasticae in casu speciali relaxatio concedi potest ab iis qui potestate gaudent exsecutiva, intra limites suaे competentiae necnon ab illis quibus potestas dispensandi explicite vel implicite competit sive ipso iure sive vi legitimae delegationis ».

Ad canonem 1 (80) § 2

Est Rev.mus Consultor qui proponit duos canones loco § 1 et 2, quia in § 1 agitur de auctore dispensationis et in § 2 agitur de objecto

dispensationis sub aspectu negativo, sed dubitat de loco ubi secundus canon ponendus sit.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit principium de quo in § 2 essentiale esse notioni dispensationis propterea proponit ut maneat in initio tituli de dispensationibus. Ipse quoque insuper proponit cum alio Consultore duos canones. Concordant omnes.

Ad canonem 2 qui fit 3 (81)

Ad § 1

Est Rev.mus Consultor qui animadvertisit:

- 1) in canone mentio non fit de Ordinariis religiosorum quia in § 1 sermo est tantummodo de Episcopis dioecesani.
- 2) De Ordinariis religiosorum sermo fit solummodo in § 2 et hoc non sufficit quia potestas dispensandi superioribus religiosorum non competit solummodo in casibus urgentioribus etc. ...

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod finis canonis est dicere:

- 1) quinam dispensare possint;
- 2) quae sint normae pro casibus peculiaribus.

Alter Rev.mus Consultor proponit:

- 1) ut tollatur comma post verba « pro suo territorio »; quod placet omnibus;
- 2) ut ponantur verba « sua dioecesi » loco « suo territorio »; quod non placet.

Est Rev.mus Consultor qui proponit ut canon § 1 incipiat cum verbis « Episcopi dioecesani » scilicet a subiecto, claritatis causa; hoc admittitur.

Ad § 2

1. Exc.mus Consultor ad § 2 aestimat non necessaria esse verba « *infra Romanum Pontificem* » quia videri posset Romanum Pontificem potestatem dispensandi non habere.

Sed est Rev.mus Consultor qui censet verba servanda esse quia agitur de formula traditionali quae ponit aliquod discrimen inter auctoritatem S. Pontificis et auctoritatem aliorum Ordinariorum.

Ill.mus Consultor proponit ut tollantur verba « infra R. Pontificem » et declarat quod difficultas Rev.mi Consultori de quo supra solvitur verbis in initio ipsius paragraphi: « Si difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem ».

Rev.mus Secretarius Ad. quaerit utrum verba « infra R. Pontificem » remanere debeant in paragrapho 2, necne.

Maioritas Consultorum consentit ut verba illa tollantur; e contra secundum duos Consultores verba illa servanda sunt.

2. Rev.mus Consultor proponit ut loco « omnes Ordinarii » ponantur verba « quilibet ordinarius » ad vitandam imaginem alicuius collegialitatis.

Omnes Consultores concordant ut remaneant verba « omnes Ordinarii ».

3. Rev.mus Consultor quaerit utrum necessaria sint verba « si difficilis sit recursus ad S. Sedem etc. ... ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod hic habetur norma quae statuit Ordinarios dispensare posse etiam si agatur de dispensatione reservata S. Sedi quando periculum est in mora, quando est difficilis recursus ad S. Sedem et de dispensatione agitur quae a Sede Apostolica concedi solet; ergo videntur necessaria illa verba.

4. Ill.mus Consultor legit decr. *Christus Dominus* 8, a):

« Episcopis, ut Apostolorum successoribus, in dioecesibus ipsis commissis per se omnis competit potestas ordinaria, propria ac immediata, quae ad exercitium eorum munieris pastoralis requiritur, firma semper in omnibus potestate quam, vi munieris sui, Romanus Pontifex habet sibi vel alii Auctoritati causas reservandi », et declarat quod ibi sermo fit etiam de « alia auctoritate ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod in can. 3 (82) 2º sermo fit de Episcopis qui dispensare valent in casu particulari a legibus latis a Concilio regionali vel provinciali aut ab Episcoporum conferentia.

5. Exc.mus Consultor animadvertisit quod ultima linea huius paragraphi ansam praebere posset scrupulis ex parte Ordinariorum qui nescire possunt casus in quibus S. Sedes dispensationem concedere solet.

Rev.mus Consultor proponit ut loco verborum « concedere solet » ponatur verbum « nequit » quia « solet » significat, aliquando concedit, aliquando non concedit, ergo non est certa iurisprudentia: Episcopi non semper cognoscere possunt casus in quibus S. Sedes solet vel non solet dispensationem concedere.

Rev.mus Consultor animadvertisit aliud esse quid S. Sedes potest aliud quid ipsa solet dispensare: quid potest dispensare erui potest ex iure divino naturali.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit quod in can. 81 C.I.C. dicitur tantum « solet » e contra in nova formula ponantur etiam verba « in iis adiunctis »; notat etiam quod sunt aliqui casus in quibus S. Sedes dispensat, vel non dispensat, sunt vero casus in quibus S. Sedes rarissime dispensat, in iis casibus censem idoneum esse verbum « solet ». Tamen ipse Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut loco verborum « concedere solet » ponatur « concedit ».

Placet omnibus.

Ad canonem 3 qui fit 4 (82)

Rev.mus Consultor proponit sequentes animadversiones:

- 1) loco verbi « legibus » in secunda linea ponatur « illis » ad vitandam iterationem vocabuli « legibus »;
- 2) vocabulum « latis » ponatur post vocabulum « Conferentia » in tertia linea;
- 3) loco « intra fines suae competentiae » dicatur « intra fines eorumdem competentiae ».

Rev.mus Secretarius Ad. respondet:

- ad primum et ad secundum mutatio vocabuli male sonat;
— ad tertium praferendum est vocabulum « suae » quia subiectum est « Vicarii generales ».

Rev.mus Consultor proponit ut vocabulum « tantum » ponatur post vocabulum « casu ».

Concordant omnes ut canon maneat uti est cum novissima suggestione huius Rev.mi Consultoris.

Ad canonem 4 qui fit 5 (83)

Rev.mus Consultor proponit ut ponatur vocabulum « quando » loco « si ». Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod hic est quaestio de validitate non de tempore, ergo praferenda est particula « si ».

Est Rev.mus Consultor qui proponit ut loco vocabuli « expresse » ponatur « explicite ». Rationes:

- 1) in can. 81 adhibentur vocabula « explicite vel implicite »;

2) vocabulum « expresse » in codice excludit vocabulum « implicite ».

At concordant omnes ut maneat vocabulum « expresse ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut supprimatur vocabulum « confessarii »; ratio: dispensatio semper datur in foro externo.

Respondet Rev.mus Consultor quod dispensatio datur etiam tantum in foro interno, si adsit periculum scandali.

Instat Rev.mus Secretarius Ad. quod illa dispensatio data in foro interno valet etiam in foro externo sed datur sub secreto.

Concordant omnes ut vocabulum « Confessarii » supprimatur.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut adiungatur etiam vocabulum « diaconi » quia ipsi, cum potestatem delegatam assistendi in Sacramento Matrimonii habere possunt, tum etiam potestatem dispensandi habere debent; propterea in prima linea canonis formula erit sequens:

« Parochi, aliquique presbyteri aut diaconi... ».

Concordant omnes, excepto Rev.mo uno Consultore, qui post vocabulum « Parochi » proponit ut dicatur tantum « aliquique ». Ratio: adest possibilitas ut laici potestatem iurisdictionis in futuro habere possint.

Ad canonem 5 qui fit 6 (84)

Quidam Rev.mus Consultor animadvertisit ante Codicem neminem dubitare dubium de existentia causae idem esse ac dubium de sufficientia sed nunc forsitan melius esse adiungere etiam vocabulum « de existentia ».

Ceteri Rev.mi Consultores praeferunt ut textus remaneat ut iacet quia vocabulum « de sufficientia » complectitur omnia.

Est Rev.mus Consultor qui proponit ut supprimantur verba « licite petitur » ita ut can. 5 (84) § 2 ita sonet « Dispensatio in dubio de sufficientia causae licite et valide conceditur ».

Rev.mus Secretarius Ad. una cum duobus Consultoribus animadvertisit aliud esse petitionem aliud vero concessionem dispensationis quia dubitare potest sive qui petit sive qui concedit dispensationem.

Ill.mus Consultor aestimat verba « ab inferiore data » in primo paragraphe male sonare.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur: « ... dispensatio data a lege non sua, illicita et invalida est ». At omnes praeferunt textum uti iacet.

Ill.mus Consultor quaerit cur in prima parte § 1 ponantur verba « sine iusta et rationabili causa » e contra ipsa verba omittantur in secunda

parte. Respondit Exc.mus alius Consultor quod illa verba omittuntur brevitatis causa.

Rev.mus Consultor censem illa verba « licite petitur » supprimenda esse.

Ratio: fideles educandi sunt ad ponendam petitionem rectam. Ecclesia cum dispensationem concedit in se non transfert causam de liceitate morali sed solummodo de liceitate iuridica. Ex. gr. possunt esse casus in quibus Episcopus valide et licite concedit, attamen fideles peccant.

E contra adest Rev.mus Consultor qui aestimat verba « licite petitur » servanda esse in Codice.

Fit suffragatio utrum verba « licite petitur » supprimenda sint necne. Maioritas, sex contra quattuor, consentit ut verba illa supprimantur.

Ad canonem 6 qui fit 7 (novus)

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit hunc canonem compositum esse quia maioritas Consultorum in ultima sessione diebus 28-31 ianuarii habita, aestimavit talem canonem utilem esse.

Placet omnibus uti est.

Ad canones 7 (85) qui fit 8, et 8 (86), qui fit 9.

Consentient omnes ut maneant uti sunt.

APPENDIX

TEXTUS CANONUM « DE DISPENSATIONIBUS » IAM PROBATUS

Canon 1 (80)

Dispensatio seu legis ecclesiasticae in casu speciali relaxatio, concedi potest ab iis qui potestate gaudent exsecutiva, intra limites suae competentiae, necnon ab illis quibus potestas dispensandi explicite vel implicite competit sive ipso iure sive vi legitimae delegationis.

Canon 2 (novus)

Dispensationi obnoxiae non sunt leges quatenus definiunt ea quae institutorum aut actuum iuridicorum essentialiter sunt constitutiva.

Canon 3 (81)

§ 1. Episcopi dioecesani ab universalibus Ecclesiae legibus aliisque a supra Ecclesiae auctoritate pro eorum territorio latis dispensare valent ad normam can. 19 (De Episcopis dioecesanis).¹

§ 2. Si difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, omnes Ordinarii in casu particulari dispensare valent in legibus Ecclesiae universalibus et in particularibus a supra auctoritate pro eorum territorio latis, de quibus in can. 19 (de Episcopis dioecesanis), etiam si dispensatio reservetur Sanctae Sedi, dummodo tamen agatur de dispensatione quam ipsa in iisdem adiunctis concedit.

Canon 4 (82)

A legibus dioecesanis atque, in casu tantum particulari, a legibus latis a Concilio regionali vel provinciali aut ab Episcoporum Conferentia dispensare valent Episcopi dioecesani atque Vicarii generales et, intra fines suae competentiae, Vicarii episcopales, ad normam can. 5 (de Vicariis generalibus et episcopalibus).

Canon 5 (83)

Parochi aliquique presbyteri aut diaconi a lege universali et particulari dispensare tantummodo valent, si haec potestas expresse ipsis concessa sit.

¹ Coetui « de Sacra Hierarchia » canon 19 de Episcopis dioecesanis sequenti modo proponitur complendus et emendandus:

Can. 19. - § 1. Episcopus diocesanus in disciplinaribus legibus *tam universalibus quam particularibus a supra Ecclesiae auctoritate pro suo territorio latis*, quae ad bonum spirituale directe ordinantur, tum praeceptivis et prohibitivis, tum irritantibus et inhabilitibus, dispensare valet, in casibus particularibus, fideles in quos ad normam can. ... auctoritatem exercet, quoties id ad eorundem bonum spirituale conferre iudicet, firmo praescripto can. 81, § 2, et salvo prescripto § 2.

§ 2. Dispensare nequit in *bisce* legibus in quibus iuris praescripto vel decreto particulari dispensatio Apostolicae Sedi alive auctoritati specialiter reservatur.

Nota: Ad can. 2 (81), § 2. In votis est coetus « de normis generalibus », ut deinceps in iure nomine Ordinarii veniant etiam Superiores maiores in religionibus clericalibus non exemptis, quippe qui in iure condendo potestate exsecutiva, scilicet ad actus administrativos ponendos, instrui possunt relate ad suos subditos. Quod si huic voto non obsecundetur, can. 2 § 2 complendus est verbis: « ... omnes Ordinarii infra Romanum Pontificem necnon Superiores maiores in Institutis religiosis clericalibus aliisque eisdem aequiparatis... ».

Canon 6 (84)

§ 1. A lege ecclesiastica ne dispensemur sine iusta et rationabili causa, habita ratione adiunctorum casus et gravitatis legis a qua dispensatur; alias dispensatio illicita et, nisi ab ipso legislatore eiusve Superiori data sit, etiam invalida est.

§ 2. Dispensatio in dubio de sufficientia causae licite et valide conceditur.

Canon 7 (novus)

Qui gaudet potestate dispensandi eam exercere valet etiam extra territorium existens, in subditos, licet e territorio absentes atque, nisi contrarium expresse statuatur, in peregrinos quoque in territorio actu degentes.

Canon 8 (85)

Strictae subest interpretationi non solum dispensatio ad normam can. 50, sed ipsamet facultas dispensandi ad certum casum concessa.

Canon 9 (86)

Dispensatio quae tractum habet successivum, cessat iisdem modis quibus privilegium, nec non certa ac totali cessatione causae motivae.

II

DISCEPTATIO DE TEMPORIS SUPPUTATIONE

1. *Ad canonem 31*

Rev.mus Secretarius Ad. quaerit utrum mentio facienda sit in canonе de duabus sequentibus exceptionibus:

scilicet « salvis legibus liturgicis » et « nisi aliud expresse ca-
veatur ».

Respondet Rev.mus Consultor quod nihil obstaret quominus prima exceptio, scilicet « salvis legibus liturgicis » supprimatur ita ut hic canon sit:

« Tempus, nisi aliud expresse caveatur, supputetur ad normam canonum qui sequuntur ».

Exc.mus Consultor proponit textum sequentem qui placet omnibus Consultoribus:

« Nisi aliud expresse caveatur, tempus supputetur ad normam canonum qui sequuntur ».

2. *Ad canonem 32*

Idem Exc.mus Consultor censemt actualem redactionem manere posse, tamen suggerit ut interpretatio temporis diei, horae, mensis, anni, non physice sed moraliter fieri possit, ad scrupulos vitandos.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod interpretatio moralis temporis non potest esse norma iuridica.

Censemt quidam Consultor hoc loco quaestionem esse de definitione temporis, non de modo et proponit ut in § 1 tollantur verba: « supputandis a media nocte » ita ut canon ita sonet: § 1. « Dies constat 24 horis continuo, hebdomada 7 diebus ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod computatio a media nocte fit, etiam in Codice civili, ratione diligentiae iuridicæ.

Idem Rev.mus Consultor qui supra aestimat necessarium non esse ut in Codice ponantur definitiones diei, hebdomadae.

Respondet alter Rev.mus Consultor quod etiam in Codice hispanico dicitur quid sit dies et hebdomada.

Ill.mus Consultor censemt § 1 canonis omitti posse vel sequenti modo mutari: « dies a media nocte incipit ».

Ratio: non est necessarium enunciare in Codice quantas horas habet dies et quantos dies habet hebdomada.

Alter Ill.mus Consultor animadvertis canonem hunc statuere spatium diei, hebdomadae, anni. Censemt non esse legislatoris ecclesiastici statuere res ab omnibus cognitas. Attamen proponit ut canon dicat tantum initium a quo incipit dies scilicet « a media nocte... ».

Est Rev.mus Consultor qui proponit ut § 1 maneat ad vitandam ambiguitatem in actibus iuridicis.

Quidam Rev.mus Consultor aestimat computationem physicam temporis ad validitatem actuum iuridicorum servandam esse.

Ill.mus Consultor proponit ut formula « in iure » de qua in § 2 ponatur etiam in § 1.

Rev.mus Consultor proponit ut ex duabus paragraphis una tantum fiat ad vitandam repetitionem formulae « in iure ».

At Ill.mus Consultor est qui praeferet separationem inter duas paragraphos.

Rev. Consultor animadvertisit in § 1 sermonem esse de facto omnibus populis noto, quia nullus dies dari potest qui inde a media nocte initium non capiat; attamen in § 2 sermo est de mensis et anni computatione quae alio modo fieri potest. Propterea declarat quod separatio inter paragraphos servanda est.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut in § 2 loco verbi « venit » ponatur « intelligitur ».

Est Rev.mus Consultor qui instat ut etiam in § 1 ponatur formula « in iure » quia « a media nocte dies incipit » est norma iuridica.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit sequentem formam Canonis 32:

« In iure dies intelligitur spatium constans 24 horis continuo supputandis et incipit a media nocte; hebdomada 7 diebus; mensis intelligitur spatium 30 dierum, annus vero spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario, nisi aliud expresse dicatur ».

Textus placet omnibus consultoribus, tribus exceptis.

3. *Ad canonem 33*

Exc.mus quidam Consultor in suo voto scribit sequentia:

« Canon 33 ... stet pericopa “in supputandis horis diei standum est communi loci usui...”. Deinde addatur “in obligationibus autem privatis implendis sequi quis potest tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium”. Cum lex de celeratione missae mutata fuit, eliminandus est Canon 821, vel saltem mutandus. Mutandus est etiam Canon 867, § 2 n. 4 ».

Exc.mus Consultor est qui ad § 1 proponit formulam sequentem:

« In supputandis horis diei standum est communi loci usui » ita ut omittantur quattuor exceptiones in paragrapho appositae.

Alter Rev.mus Consultor proponit ut in § 1 ultima pars « ...potest quis sequi loci tempus... etc. » sequenti modo emendetur: « ... potest quis sequi tempus aut locale aut legale ». Et hoc sufficit.

Rev.mus Secretarius Ad. cum alio Consultore proponunt ut enumeratio tollatur ita ut maneat tantum prima pars paragraphi.

Est Rev.mus Consultor qui censem paragraphum posse integrum remanere. Ratio est quia favores non sunt restringendi. Si cadit secunda pars paragraphi, cadunt etiam favores in ea contenti.

Secundum Ill.mum Consultorem secunda pars paragraphi supervacanea est; attamen censem relinquendum esse quod de officio divino dicitur ita ut officium non dicatur ultra medium noctem.

Est Rev.mus Consultor qui censem formulam « standum est communi loci usui » nimis strictam esse, quia magna differentia adest in nostro tempore inter rura et civitates.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit formulam sequentem:

« standum est usui in loco probato ».

Rev.mus Consultor qui supra subsumit, adfirmans se praeferre formulam Codicis in prima parte paragraphi.

Rev.mus Secretarius Ad. in 2^a parte paragraphi proponit sequentem emendationem:

« In obligationibus autem privatum implendis sequi quis potest tempus legale aut locale ».

Placet omnibus, uno excepto, qui praeferit solam primam partem canonis, sed accipit textum probatum.

Ad § 2 Rev.mus Secretarius Ad. declarat quod secundum can. 1529 servanda sunt quae ius civile statuit, et ideo idem valet de computatione temporis in hac materia.

Est qui censem hanc paragraphum servandam esse uti iacet. Ratio:

« in can. 1529 sermo fit de principio generali; e contra hic ponitur norma particularis de supputatione temporis, scilicet de exsecutione contractus ».

Rev.mus Secretarius Ad. una cum altero Consultore proponit ut, propter principium canonis 1529, haec paragraphus supprimatur.

Concordant omnes ut § 2 supprimatur.

4. *Ad canonem 34*

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut § 1 supprimatur: ratio haec est: sufficit quod dictum est in can. 32.

At est Rev.mus Consultor qui declarat quod canon, facilis, praeccusus, ad substantiam quod attinet, prout iacet retinendus est. Ratio est quia hic habetur structuratio totius computationis; itaque facit tres coniecturas:

- a) si totum dicendum dicitur, quoad tempus supputandum, tunc valet regula in § 1 contenta: « menses et anni sumantur prout sunt in calendario »;
- b) si nihil dicitur, tunc valent regulae in § 2 contentae scilicet « tempus supputetur de momento ad momentum »;
- c) si aliquid (e dicendis) dicitur, scilicet initium ... tunc valent principia in § 3 ad rem statuta.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut in can. 32 dicatur « quod si tempus sit continuum, supputandum est a media nocte, excepto casu in quo legislator statuit tempus supputandum esse de momento ad momentum; affirmat ipse vero quod dies incipit a media nocte nisi aliud dicatur; et haec est quaestio de obligatione iuridica non tantum de facto naturali.

Ipse Rev.mus Secretarius Ad. quaerit utrum deleri debeat § 1 huius canonis necne.

Secundum majoritatem consultorum § 1 supprimenda est.

Ad § 2: Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut supprimatur, quia, cum sit nova redactio can. 32, haec paraghaphus esset repetitio.

Est Rev.mus Consultor qui quaerit ex Rev.mo Secretario Ad., in casu legis vacationis, dies *a quo* quomodo computetur, in hac hypothesi.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod dies a quo non computatur quia dicitur tempus continuum a media nocte supputandum esse. Proprietary ipse proponit ut § 2, qui adiungi debeat can. 32, ita sonet:

§ 2. « Si tempus est continuum, mensis et annus semper sumendi sunt prout sunt in calendario ».

Concordant omnes ut § 2 canonis 34 supprimatur.

Ad § 3: secundum majoritatem Consultorum paraghaphus supprimendus est. Solus Rev.mus quidam Consultor declarat quod § 3 manere debet; e contra quod dicitur de novitiatu, censet, tolli et transferri posse in instructione de S. Congr. de religiosis.

Rev.mus Consultor aestimat aliquid dicendum esse in sola relatione de die professionis quando agitur de actibus eiusdem speciei ex gr. de professione facta in die Nativitatis Domini si ipsa professio repeti non possit in eadem die.

5. Ad canonem 35

Omnis concordant ut canon maneat uti est.

Ill.mus Consultor suggerit ut iste canon in initio tituli III ponatur quia in eo agitur de definitione.

**DISCEPTATIO DE CANONIBUS EMENDATIS SCHEMATICIS
DE TEMPORIS SUPPUTATIONE**

Textus canonum a Rev.mo Secretario Ad. propositus.

Canon 1

Nisi aliud expresse caveatur, tempus supputetur ad normam canonum qui sequuntur.

Canon 2

§ 1. Tempus continuum intelligitur quod nullam patitur interruptionem; secus intermissum.

§ 2. Tempus utile intelligitur quod ita ius suum exercenti aut persequenti competit ut ignorantia aut agere non valenti non currat.

Canon 3

§ 1. In iure, dies intelligitur spatium constans 24 horis continuo supputandis, et incipit a media nocte, nisi aliud expresse caveatur; hebdomada spatium 7 dierum; mensis spatium 30, annus spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario.

§ 2. Prout sunt in calendario semper sumendi sunt mensis et annus, si tempus est continuum.

Canon 4

§ 1. Dies a quo non computatur in termino, nisi huius initium coincidat cum initio diei aut nisi aliud expresse caveatur.

§ 2. Nisi contrarium statuatur, dies ad quem computatur in termino, qui, si constet uno vel pluribus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus, finitur expleto ultimo die eiusdem numeri.

DISCEPTATIO DE SINGULIS CANONIBUS

Ad canonem 1

Ill.mus Consultor proponit ut adiungatur formula « in iure » post vocabulum « expresse ».

Placet omnibus.

Ad canonem 2

Est Rev.mus Consultor qui declarat quod tempus utile intelligitur illud quod venit ex voluntate legislatoris, e contra tempus continuum habetur de se, scilicet, quando nullam patitur interruptionem.

Quando tempus est continuum computatur, e contra quando tempus est intermissum non computatur. Praeterea in § 1 non videtur opportunum ponere duas quaestiones diversas.

Alter Rev.mus Consultor proponit ut § 1 ponatur post § 2. Ratio: Tempus utile dici potest tum de tempore continuo tum de tempore intermisso.

Rev.mus Secretarius Ad. respondet quod in § 2 agitur de quaestionibus diversis ab eis quae in § 1 habentur.

Placet omnibus, uno excepto, ut canon maneat uti iacet.

Ad canonem 3

Rev.mus Consultor ad § 1 suggerit:

1) ut adiungantur verba « proprio nomine » quae sunt verba Codicis: cfr. can. 34 § 1;

2) ut adiungantur verba « a media nocte » post vocabulum « continuo » ita ut textus sonet « In iure, dies intelligitur spatium constans 24 horis continuo a media nocte computandis... ».

Alius Rev.mus Consultor proponit emendationem sequentem ad § 2: « quoties tempus est continuum, mensis et annus sumendi sunt prout sunt in calendario ».

Concordant omnes ut textus maneat uti est.

Ad canonem 4

Idem Rev.mus Consultor qui supra, ad § 2 canonis 4 non approbat formulam « ... expleto ultimo die eiusdem numeri » quia declarat quod

si computandum est tempus de momento, possunt haberi menses qui numerum non habent.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut formula sequens adiungatur canonis:

« ... si non adest in mense dies eiusdem numeri, expleto ultimo die... ».

Non placet.

Est Rev.mus Consultor qui proponit sequentem formulam: « aut si mensis dies eiusdem numeris careat expleto ultimo die mensis ».

Placet omnibus.

Itaque textus can. 4 erit:

§ 1. Dies a quo non computatur in termino, nisi huius initium coincidat cum initio diei aut aliud expresse caveatur.

§ 2. Nisi contrarium statuatur, dies ad quem computatur in termino, qui, si terminus constet uno vel pluribus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus, finitur expleto ultimo die eiusdem numeri aut si mensis die eiusdem numeri careat, expleto ultimo die mensis.

Rev.mus Consultor animadvertisit in canonibus 1, 3, 4 verbum « caveatur » adhiberi, e contra in can. 2 adhiberi verbum « statuatur »; itaque proponit ut in omnibus canonibus verbum « caveatur » adhibeatur.

Fit suffragatio: utrum textus emendandus sit secundum propositionem Rev.mi Consultoris an maneat uti est.

Plerique, 6 contra 3, suffragium dant in favorem textus uti est.

Rev.mus Consultor proponit ut particula « nisi » in II linea § 1 tollatur.

Placet.

Tres clarissimi consultores petunt ut tollantur verba « aut aliud expresse caveatur ».

Ratio: eadem formula posita est etiam in canone 1 et hoc videtur sufficiens esse.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod in can. 1 agitur de alia materia, et clarior videtur norma si formula repetitur.

Rev.mus Consultor censet relinquendum esse textum uti est cum formula « nisi aliud expresse caveatur » quia hae normae sunt obligatoriae si non praevidentur exceptiones.

Idem sentit et alter Rev.mus Consultor qui affert exemplum hoc: « si quis suspensus est per tres dies » quomodo computari potest ini-

tium harum trium dierum, si omittitur possilitas quae venit ex formula « nisi aliud expresse caveatur »?

Concordat imo etiam Ill.mus tertius Consultor et declarat quod formulae illae necessariae sunt quia in can. 1 formula se refert ad normam generalem, dum in aliis canonibus formula se refert ad normas peculiares. Ipse proponit etiam ut in can. 1 adiungatur formula « in iure » post vocabulum « expresse » ita ut dicatur « nisi aliud expresse in iure caveatur... etc. ».

Placet omnibus.

APPENDIX

TEXTUS CANONUM « DE TEMPORIS SUPPUTATIONE » IAM PROBATUS

Canon 1

Nisi aliud expresse in iure caveatur, tempus supputetur ad normam canonum qui sequuntur.

Canon 2

§ 1 Tempus continuum intelligitur quod nullam patitur interruptionem; secus intermissum.

§ 2. Tempus utile intelligitur quod ita ius suum exercenti aut per sequenti competit ut ignorantí aut agere non valenti non currat.

Canon 3

§ 1. In iure, dies intelligitur spatium constans 24 horis continuo supputandis, et incipit a media nocte, nisi aliud expresse caveatur; hebdomada spatium 7 dierum; mensis spatium 30, annus spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario.

§ 2. Prout sunt in calendario semper sumendi sunt mensis et annus, si tempus est continuum.

Canon 4

§ 1. Dies a quo non computatur in termino, nisi huius initium coincidat cum initio diei aut aliud expresse in iure caveatur.

§ 2. Nisi contrarium statuatur, dies ad quem computatur in ter-

mino, qui, si terminus constet uno vel plurimus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus, finitur expleto ultimo die eiusdem numeri aut si mensis die eiusdem numeri careat, expleto ultimo die mensis.

III

DISCEPTATIO DE PRAECEPTIS

DISCUSSIO GENERALIS

1. *Quaestio de praeceptis in communi*

Quidam Rev.mus Consultor in suo voto scripto declarat sequentia:

« Praecepta in communi intelliguntur praecepta communitati data, attamen a legibus natura sua differunt. Lex enim datur de se in perpetuum; legi propria est perpetuitas (negativa), quae in eo consistit, quod lex de se perdurat, nisi ob rationem proportionate gravem, revocetur. Praeceptum autem natura sua datur a competenti superiore, ad bonum communitatis, ex intentione (praesumpta) pro tempore, quo ipse curam communitatis habet.

Hac ratione generatim dicitur praeceptum in communi de se cessare resoluto iure praecipientis ».

Rev.mus Secretarius Ad. e contra censem leges dari communitatim in perpetuum tum ad tempus et praecepta in communi, quae novam obligationem statuunt, a legibus natura sua non differre; precepta vero quae novam modalitatem obligationis statuunt a legibus natura sua differre.

Respondet Rev.mus Consultor qui supra quod Superiores Maiores in Religione potestatem habent normas statuendi quae tamen non sunt leges; insuper declarat quod etiam decreta S. Congregationum introducere possunt novas obligationes quae tamen non sunt leges.

Contradicit Rev.mus Secretarius Ad. quia multa decreta S. Congregationum non introducunt novas obligationes sed tantum novam formam obligationis.

2. *Quaestio: an laici subiectum esse possint ecclesiasticae iurisdictionis*

Rev.mus Consultor declarat quod:

1. Theologice ac proinde etiam iuridice certum est laicorum inha-

bilitatem, a Codice constanter retentam, una alteraque exceptione mitigatam, ad recipiendam potestatem iurisdictionis ab uno promanare iure, ab illo, nempe ecclesiastico, non autem ab illo divino.

2. In novo Codice expedit, saltem pro nonnullis peculiaribus casibus, vigentem disciplinam aliquantulum mitigare.

3. Concilium Vat. II in clara luce posuit sive dignitatem sive etiam maturitatem laicorum et hic aspectus conciliaris suadet illam mitigationem in novo Codice inducere, seu iurisdictionis potestatem quoque illis laicis concedere.

Rev.mus Secretarius Ad. aestimat potestatem legislativam semper reservandam esse clericis, potestatem vero exexecutivam concedendam etiam laicis.

Est Rev.mus Consultor qui petit ut notio potestatis iurisdictionis clare definiatur.

3. *Quaestio de praceptis singulis datis* (can. 24)

Rev.mus Secretarius Ad. declarat quod pracepta de quibus agitur in can. 24 sunt quae dantur vi potestatis regiminis, non potestatis dominativae.

Rev.mus Consultor affirmat pracepta singulis data de quibus in can. 24 de se imponi posse a Superiore, qui habet potestatem ordinariam fori externi.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut disceptetur de praceptis vi potestatis regiminis datis.

Rev.mus Consultor declarat quod multiplicatio praceptorum periculosa est, quia pracepta particularia sunt contra libertatem individualem.

Secundus Consultor consentit cum Rev.mo Secretario Ad. et declarat nunc tractandum esse de praceptis vi potestatis regiminis datis; quaestiones enim sunt diversae.

Tertius Consultor declarat quod convenit ut distincte designentur principales divisiones praecetti scilicet:

a) praecettum ad instar legis et praecettum ad instar sententiae;

b) praecettum singulis datum et praecettum communitati datum: haec ultima divisio respicit pracepta ad instar legis.

Animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. pracepta ad instar sententiae respicere ius poenale non praesentem materiam, ubi agitur de normis generalibus.

Ill.mus Consultor censet quod difficile separantur praeceptum administrativum et praeceptum poenale, quia etiam praeceptis administrativis potest statui poena.

Exc.mus Consultor declarat quod munus huius coetus est tractare de normis generalibus, tamen hic labor utilis erit etiam pro iure poenali.

Ill.mus Consultor est qui aestimat hoc loco sermonem faciendum esse de normis generalibus; itaque hic ponendae sunt tantummodo normae de praeceptis administrativis; affirmat quod de iis, quae ad praecepta vi potestatis dominativae data vel poenalia attinent, tractandum est in aliis titulis Codicis.

Praeterea non videtur quod poena propter inobservantiam alicuius praecepti sancita naturam iuridicam ipsius praecepti modificare possit sicut lex quae propriam naturam non mutat quando poena sancitur; unica differentia haec est: si ad praeceptum adiungitur poena, auctoritas quae poenam applicat potest esse eadem quae praeceptum promulgavit.

Rev.mus quidam Consultor affirmat:

« A mon avis, il ne convient pas de traiter dans le présent titre la question du précepte dominatif. Il ne doit s'agir ici que des préceptes émanants d'autorités ayant la potestas regiminis. Je voudrais cependant attirer l'attention sur la distinction précepte administratif précepte pénal (les préceptes pénaux sont donnés plus fréquemment que les préceptes purement administratifs). Le titre que nous essayons de rédiger devrait indiquer les principes généraux relatifs aux deux catégories de préceptes: ils ne sont pas nécessairement les mêmes ».

Concordat et alter Rev.mus Consultor quod hic agitur (in can. 24) de praeceptis ex potestate regiminis, sed affirmat quod existunt alia praecepta quae habent eundem effectum ac praecepta quae ex potestate iurisdictionis veniunt; ex gr. etiam Superiores, qui potestate iurisdictionis non gaudent, ipso iure interdum tenentur ad imponendum praeceptum, quod « iudicialiter urgendum » est, ex gr. Superiores in virorum religionibus clericalibus non exemptis et laicalibus, in ordine ad dimissionem professi a votis perpetuis, quatenus duplex monitio canonica dimissionem precedere debet, ad normam can. 649.

Rev.mus alius Consultor animadvertisit:

1) agitur de normis generalibus, et ideo non videtur quare distingui debet inter praecepta iurisdictionalia et alia quae sunt publica;

2) ad praecpta poenalia quod attinet, certum est quod non possunt hic tractari elementa specifica iuris poenalis, sed dari possunt communia elementa.

Rev.mus Secretarius Ad. censet distinctionem faciendam esse inter praecpta ex potestate regiminis quae sunt ad bonum commune et praecpta ex potestate dominativa quae sunt ad bonum particulare.

Prior Consultor non videt necessitatem huius distinctionis, quia qui potest dare praecptum ex potestate iurisdictionis potest illud dare etiam ex potestate dominativa.

Em.mus Card. Praeses declarat quod non semper qui potestatem iurisdictionis habet actum potestatis dominativae ponere potest; agitur de alio ordine rerum. Nam potestas dominativa venit ex voto: ortum habet ex professione religiosa; e contra potestas iurisdictionis ex divina institutione positiva ortum dicit.

Rev.mus Secretarius Ad. quaestionem ponit utrum dicendum sit «potestas iurisdictionis» an «potestas regiminis».

Ipse Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur «potestas regiminis»:

1) quia melius concordat cum mente Concilii Vaticani II, ubi sermo fit «de munere regendi» quod Episcopi habent erga subditos;

2) quia concordat cum modo communi loquendi tum in iure civilium in iure canonico antiquo.

Em.mus Card. Praeses censet formulam «potestas regiminis» nimis vagam esse et animadvertisit a Concilio Vaticano II non ipsa verba, sed substantiam, sumenda esse.

Rev.mus Consultor tenet duas esse potestates, scilicet potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis.

Rev.mus Secretarius Ad. memorat quod una est potestas cum tribus muneribus, scilicet munus sanctificandi munus docendi erga omnes et munus regendi erga baptizatos.

Est etiam secundus Rev.mus Consultor qui animadvertisit etiam in Codice can. 196 dici «potestas iurisdictionis seu regiminis».

Quidam Exc.mus Consultor notat, una cum Secretario Ad., quod etiam constitutio Ap. «De Curia Romana» sequentibus verbis incipit «Regimini Ecclesiae universae...».

Concordant omnes ut loco «potestas iurisdictionis» adhibeatur in Codice formula «potestas regiminis».

**DISCEPTATIO IN CANONES DE PRAECEPTIS
A REV.MO SECRETARIO AD. PROPOSITOS**

Textus a Rev.mo Secretario Ad. propositus:

Canon 1

Praecepta vi potestatis regiminis singulis data, eos quibus dantur ubique ligant, nisi expresse contrarium caveatur; urgeri tantum valent atque perdurant resoluto etiam iure praecipientis, si per legitimum documentum fuerint imposita.

Canon 2

§ 1. Praecepta communia vi potestatis regiminis data, quibus nempe determinantur rationes in adimplendis legibus servandae, aut quae, deficiente quodam essentiali elemento, non sunt leges, imponi possunt a quolibet potestate exsecutiva gaudente, intra fines suae competentiae.

§ 2. Praecepta communia, de quibus in § 1, nisi expresse statuantur personalia, ligant subditos in territorio versantes, nec peregrinos in territorio degentes obligant, nisi agatur de praeceptis quibus determinantur leges quibus peregrini ligantur ad normam can. 14, § 2, 2º.

§ 3. Non cessant resoluto iure praecipientis, nisi contrarium expresse caveatur.

Canon 3

Praecepta quae non dantur potestate regiminis, eos quibus impununtur ubique ligant, et cessant resoluto iure praecipientis, nisi aliud constet.

DISCEPTATIO DE SINGULIS CANONIBUS

1. *Ad canonem 1*

1. Rev.mus Consultor quaerit cur dicitur tantum « per legitimum documentum » exclusa formula « coram duobus testibus ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod si quis Superior urgere vellet in foro externo documentum necessarium et sufficiens videtur.

Alter Rev.mus Consultor declarat quod documentum scilicet praceptum scriptum efficacior est probatio quam per testes probatio.

Tertius Rev.mus Consultor censet praeceptum per documentum datum magis definitum esse quam praeceptum oraliter datum.

E contra Rev.mus quartus Consultor censet praecpta coram duobus testibus imposita maiore certitudine gaudere, quia documentum falsum confici potest; itaque declarat quod dispositio Codicis de legitimo documento aut de duobus testibus retinenda est.

Ill.mus quintus Consultor animadvertisit distinctionem esse inter documentum falsum et documentum quod propter circumstantias non amplius potest esse legitimum, itaque proponit ut in textu adhibeatur formula quae maximam certitudinem afferre possit scilicet « per documentum ».

Rev.mus Secretarius Ad. concordat cum hac novissima sententia, et proponit sequentem formulam: « ... per documentum legitime intimata ».

III.mus Consultor suggest ut dicatur in textu praecpta ut urgeri valeant intimanda esse legitimu documento et etiam legitimu modo ea communicanda.

Rev.mus Consultor proponit sequentem textum: « praecpta... ut urgeri valeant atque perdurent resoluto etiam iure praecipientis, legitimu documento ad normam iuris intimentur ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit sequentem textum « Praecpta ut urgeri valeant, requiritur legitimu documento ad normam iuris intimata fuerint ».

Quidam Rev.mus Consultor declarat quod in textu canonis sermo faciendus est tum de legitimu documento tum de duobus testibus, quia libertas non est coarctanda: superior imponens praeceptum videat quisnam modus, documentum legitimum vel testes, magis idoneus sit.

Est alter Rev.mus Consultor qui concordat cum priore Consultore, quia possunt haberi casus urgentes, in quibus documentum confici non potest.

Accedit etiam tertius Consultor qui censet insufficiente esse sermonem facere in textu tantummodo de legitimu documento.

2. Idem Consultor contrarius est formulae « nisi expresse contrarium caveatur » in prima parte canonis, quia etiam ex natura rei id apparet potest.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit formulam sequentem « nisi aliud

manifesto constet » aut « nisi contrarium constet ». Ratio: praeceptum datur pro persona non pro territorio.

Est Rev.mus Consultor qui exemplum affert de Episcopo qui mis- sarum celebrationem in lingua vulgari permittit.

Huic novissimo Consultori respondit Rev.mus Secretarius Ad. cum socio, quod hoc non pertinet ad Episcopum sed ad Conferentias Episcoporum (cfr. Const. de S. Liturgia n. 22, p. 17).

Ill.mus Consultor sugerit ut in canone clare eluceat relatio inter praeepta et leges; declarat quod omnino instandum est in natura ad- ministrativa omnium praceptorum; praeepta non possunt esse arbitria.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut ex can. 1 duo paragrapha com- ponantur sequenti modo:

§ 1. « Praecepta, quibus de applicatione legum curatur, singulis dari possunt, ab iis qui potestate exsecutiva gaudent, intra fines suaे competentiae ».

§ 2. Praecepta de quibus in § 1, nisi aliud constet, eos quibus do- nantur ubique ligant et, nisi contrarium caveatur, cessant resoluto iure praecipientis; urgeri ut valeant, requiritur legitimo documento ad nor- mam iuris intimata fuerint ».

Ad § 1

Rev.mus Consultor censet in § 1 sermonem faciendum esse de praeeptis quibus de applicatione legis « naturalis » curatur quia notio boni communis est notio iuris naturalis.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod hic agitur de potestate regiminis scilicet de lege positiva non de lege naturali.

Instat Rev.mus Consultor qui supra quod lex positiva a lege naturali pendet.

Animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. quod, ubi agitur de praeeptis singulis datis ad applicationem legum, curandum non est de lege natu- rali sed de lege positiva.

Quaerit Ill.mus Consultor utrum praeepta sint observatio legum necne.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod praeeptum est applicatio legum; ex gr. lex prohibet clericis ne frequentent loca periculosa, e contra praeeptum indicat illa loca.

Idem Secretarius Ad. proponit ad § 1 sequentem formulam:

« Praecepta quibus de applicatione legum curatur... ».

Animadvertisit quidam Rev.mus Consultor sufficiens non esse verbum « legum » quia non comprehendit consuetudinem iuris.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit sequentem formulam « praecepta quibus de applicatione iuris curatur... ».

Est Rev.mus Consultor qui ad § 1 proponit ut verba « quibus de applicatione normarum iuris curatur » supprimantur et sufficiat ut dicatur tantummodo « intra fines suae competentiae ».

Idem ad § 1 proponit ut supprimatur verba « intra fines suae competentiae » quia hoc est in ordine obiectivo iuris.

Exc.mus Consultor concordat cum praecedenti Consultore de supprimendis verbis « intra fines suae competentiae » quia Superior debet habere certam mensuram discretionis.

Ill.mus Consultor declarat sequentia:

« Il est évident que le précepte ne peut être pris que conformément au droit et dans les limites de la compétence de son auteur, mais il paraît cependant préférable de faire figurer cette double précision dans le texte, afin de bien souligner la nécessité de ne faire qu'un usage très modéré du précepte ».

Rev.mus alter Consultor ad § 1 censet supprimenda esse verba « quibus de applicatione legum curatur » quia agunt de doctrina. Non concordant alii; de hoc fit suffragatio: utrum supprimenda sint verba « intra fines suae competentiae necne ».

Omnis, duabus exceptis, concordant ut illa verba maneant in textu.

Ad § 2. Quaestio de cessatione praecepti.

Quaestio ponitur utrum servanda sint verba in textu « nisi contrarium caveatur (pracepta) cessant resoluto iure praecipientis ».

Rev.mus Consultor censet quod praceptum praesumitur valere pro tempore officii superioris, qui praceptum dedit. Statuitur vero tantum praesumptio. Proinde etiam praceptum in communi, si bonum commune hoc exigat, ultra hoc tempus valere potest. Oportet autem, ut hoc clare constet, sive hoc manifestetur in casu particulari, sive etiam generaliter. Hac ratione ex gr. decreta S. Congregationum Romanarum, etsi leges non sint, sine dubio de se non dantur ad tempus determinatum. Ex altera parte, quia de se non sunt leges, non conduntur in perpetuum, ita ut hoc modo provideatur, ne decursu temporis iterum illa incommoda habeantur, quae ad unificationem legislationis in C.I.C. perducebant.

Ill.mus Consultor aestimat requiri ut praceptum extinguitur, resoluto iure praecipientis.

Ipse vero proponit sequentem textum:

- can. 1: Praeceptum (iurisdictionale) instituitur, cum legitimum actum, per quod impositum est, subdito cui datur notum est.
- can. 2: Praecepta (ad instar legis) singulis data (peculiaria) praesumuntur personalia: eos (vel: subditos) quibus dantur ubique urgent, nisi aliud constet ex voluntate explicita precipientis; praecepta communia (communitati data) praesumuntur territorialia nisi aliud constet ex voluntate explicita praecipientis. Praecepta ad instar sententiae personalia sunt.
- can. 3: Praecepta ad instar legis cessant corruente titulo subiectionis erga praecipientem vel etiam, nisi aliud constet ex voluntate explicita praecipientis, resoluto iure praecipientis.
Praecepta ad instar sententiae non cessant in iisdem circumstantiis.

Est tertius Consultor qui affirmat sequentia:

« Il est sans doute préférable de limiter, sauf disposition contraire formellement exprimée, la durée d'application du précepte à celle de la durée du pouvoir de son auteur. Mais il faut remarquer qu'en principe un acte administratif survit à son auteur. Nous faisons donc ici une exception à ce principe en limitant en principe la durée d'application du précepte à celle du pouvoir de son auteur. C'est faire apparaître le caractère complexe du précepte, qui même "vi potestatis regiminis datum", garde un certain aspect de mesure personnelle ».

Neque deest Consultor qui censet in textu dicendum esse praeceptum valere tantummodo perdurante vita superioris qui praeceptum dedit; itaque proponit ut supprimantur verba « nisi contrarium caveatur »; notat etiam dici posse « nisi aliud a successore statuatur ».

Rev.mus alter Consultor animadvertisit omnia praecpta, resoluto iure praecipientis, manere, nisi contrarium statuatur.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut verba « nisi contrarium caveatur » maneant in textu.

Concordant omnes.

Ad canonem 2

Ad § 1

Rev.mus Consultor animadvertisit in hoc canone repeti multa iam in praecedentibus duabus paragraphis dicta.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod hic canon non est applicatio legis, sed maior determinatio.

Rev.mus Consultor proponit ut verba « aut quae deficiente quodam essentiali elemento » supprimantur, cui consentit et alter Consultor.

Est qui animadvertis melius determinandam esse notionem pracepti communis, et definiendam esse communitatem cui dari potest.

Cui respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod hoc videtur inutile, quia notio illa habetur in verbis « quibus nempe determinantur rationes in adimplendis legibus servandae ».

Instat Rev.mus Consultor qui supra dicens quod illa formula videtur nimis vaga.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit... « in adimplendis iuris normis » loco « in adimplendis legibus... ».

Est Rev.mus Consultor qui proponit sequentes formulas: « imponi possunt communitati saltem recipiendi leges capaci » vel « imponi possunt alicui communitati ».

Ill.mus Consultor animadvertis quod praecipuum datum communitati quae est persona iuridica, dicitur singulare, non commune.

Proponit ut dicatur « imponi possunt singulis communitatibus ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « pro omnibus qui in iisdem adiunctis versantur ».

Adest qui praefert ut dicatur « alicui communitati data ».

E contra est qui praefert « plurimis data »; sed quaerit utrum talis definitio necessaria sit; notio pracepti communis sufficit.

Est qui censet textum, uti iacet, sufficere.

Alter Consultor suggerit verbum « coetus » loco « communitas ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod « coetus » est persona moralis cui dantur pracepta singularia, non communia.

Convenit et tertius Consultor qui etiam censet sufficere id quod iam in textu dictum est, quia clare sermo fit de praceptis communibus.

Instat quartus quidem Consultor affirmans quod determinandum est quid intelligitur pracepto communi et declarat quod determinatio pracepti communis non debet contradicere canoni 26 de Consuetudine ubi legitur « communitas quae legis ecclesiasticae saltem recipienda capax est... ».

Quintus Consultor proponit textum sequenti modo emendatum:

§ 1. « Praecepta communia, vi potestatis regiminis et infra fines suae competentiae data, imponi possunt a quolibet potestate exexecutiva gaudente ».

Tandem, Rev.mus Secretarius Ad. proponit textum sequenti modo emendatum:

§ 1. « Praecepta communia secundum normarum iuris praescripta dari possunt, infra limites suae competentiae, ab iis qui potestate gaudent exexecutiva... ».

Placet omnibus.

**DISCEPTATIO IN CANONES EMENDATOS « DE PRAECEPTIS »,
A REV.MO SECRETARIO AD. PROPOSITOS**

Novus textus canonum a Rev.mo Secretario Ad. propositus:

Canon 1

§ 1. Praecepta quibus applicationi normarum iuris prospicitur, singulis dari possunt, infra fines suae competentia, ab iis qui potestate exexecutiva gaudent.

§ 2. Praecepta, de quibus in § 1, nisi aliud constet, eos quibus dantur ubique ligant et, nisi aliud expresse caveatur, cessant resoluto iure praecipientis; urgeri ut valeant, requiritur legitimo documento ad normam iuris intimata fuerint.

Canon 2

§ 1. Praecepta communia secundum normarum iuris praescripta dari possunt, intra fines suae competentiae, ab iis qui potestate gaudent exexecutiva; ad eorum promulgationem et vacationem quod attinet, valent praescripta (aut: applicentur praescripta) can. 9 (de legibus).

§ 2. Praecepta, de quibus in § 1, nisi expresse statuantur personalia, ligant subditos in territorio versantes; peregrinos in territorio degentes ea tantum praecepta communia obligant, quae determinant leges quibus peregrini ligantur ad normam can. 14 § 2, 2°.

vel: Praecepta, de quibus in § 1, nisi expresse statuantur personalia, ligant subditos in territorio versantes tantum; peregrinos non ligant, nisi sint praecepta quibus determinantur leges quae peregrinos obligant ad normam can. 14, § 2, 2°.

§ 3. Non cessant resoluto iure praecipientis, nisi contrarium expresse caveatur.

Canon 3

Praecepta alia quam potestate regiminis quae data sunt, eos quibus imponuntur ubique ligant, et cessant resoluto iure praecipientis, nisi aliud constet.

DISCEPTATIO DE SINGULIS CANONIBUS

*Ad canonem 1**Ad § 1*

Rev.mus Consultor proponit denuo ut omittantur verba « quibus applicationi normarum iuris prospicitur » quia agunt de re doctrinali.

Em.mus Card. Praeses censet omittenda esse verba « infra fines suae competentiae » quia praeceptum, semper infra fines suae competentiae, datum est.

Placet textus Rev.mo cuidam Consultori, sed ipse suggerit ut explicetur quid potestate exexecutiva intelligitur.

Duo Consultores proponunt textum sequenti modo emendatum: « Praecepta quibus ad applicationem legis curandam obligatio impunitur... ».

Fiunt suffragationes:

1. Utrum ad § 1 servandus sit textus uti est an mutandus sit cum emendatione a Rev.mo Consultore proposita.

Maioritas: quinque contra quattuor praeferunt ut textus maneat uti est.

2. Utrum supprimenda sint verba « quibus applicationi normarum iuris prospicitur » secundum suggestionem Rev.mi alterius Consultoris.

Concordant omnes ut verba non supprimantur, et textus maneat uti est.

Ad § 2

Est Rev.mus Consultor qui iterum proponit ut adiungantur verba « aut coram duobus testibus » ita ut intimatio fieri possit non tantummodo per legitimum documentum, ad vitandam difficultatem quae oriri potest cum tempus deest ad documentum conficiendum.

Etiam Em.mus Card. Praeses praefert ut verba « coram duobus testibus » adiungantur in canone.

Alter Consultor declarat quod intimatio debet fieri per documentum aut coram duobus textibus.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit documentum esse aliquid quod fidem facit et non videt difficultatem, cum ipsum documentum confici possit post intimationem oretenus factam.

Rev.mus Consultor affirmat quod in nova redactione non est clarum quod praecepta urgeri possunt non tantum modo administrativo sed etiam iudicialiter; in can. 24 C.I.C. explicite dicebatur « sed iudicialiter urgeri nequeunt... etc. » animadvertisit ipse in can. 24 iam clarum non fuisse, sed in nova redactitone minus clarum fieri.

Rev.mus alter Consultor proponit ut adiungantur verba « etiam iudicialiter ».

Respondet Rev.mus Consultor qui supra, quod hoc non sufficit, quia in novo textu terminologia clarior est adhibenda; etenim « iudicialiter » hic non tantum refertur ad proceduram stricte iudicialem, sed ad omnem proceduram, sive administrativam, sive iudicialem, qua ius subiectivum tangitur.

Est Rev.mus Consultor qui animadvertisit nunc in iure administrativo recursum admitti tantummodo, si documentum habetur.

Alter Rev.mus Consultor aestimat textum uti est sufficientem esse.

Idem sentiunt Rev.mus Secretarius Ad. cum socio qui affirmant implicite in textu contineri utriusque procedurae possibilitatem.

Quidem Consultor suggerit ut loco formulae « nisi aliud expresse caveatur » ponatur alia formula; quaestionem facit de forma, non de substantia.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut formula « nisi aliud expresse caveatur » ponatur post verba « resoluto iure praecipientis ».

Placet omnibus.

Rev.mus Consultor ad secundam partem paragraphi proponit ut loco verborum « legitimo documento ad normam iuris intimata fuerint » habeantur tantummodo « legitime intimentur », ad relinquendam maiorem libertatem superioribus.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod in textu verbum « documentum » necessarium est.

Rev.mus Consultor proponit ut supprimantur verba « ad normam iuris ». Ratio: intimatio de se est ad normam iuris.

Ill.mus alter Consultor proponit ut loco « ad normam iuris » dicatur « in forma iuridica ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod idem est ac « ad normam iuris »; ipse proponit secundam partem paragraphi sequenti modo emendatam: « ... urgeri tantum valeant si legitimo documento ad normam iuris intimata fuerint ».

Textus uti sonat ab omnibus probatur, duobus exceptis. (Suffragatio dat sequentem exitum: 8 contra 2).

Ad canonem 2

Est Rev.mus Consultor qui proponit ut novus canon conficiatur ubi agatur modo generali tum de praceptis singularibus (can. 1 § 1) tum de praceptis communibus (can. 2 § 1).

Concordat cum praefato Consultore etiam Em.mus Card. Praeses, qui suggerit ut in primo canone agatur tantum de praceptis in genere et bene delimitetur ambitus et persona cui dari possunt.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut ex § 1 canonis 1 fiat canon 1 et ex § 2 canonis 1 fiat can. 2. Placet omnibus.

Quidam Rev.mus Consultor declarat quod praecipuum non indiget promulgatione et proponit ut supprimantur verba « ad eorum promulgationem et vacationem quod attinet valent praescripta can. 9 ».

E contra Rev.mus Secretarius Ad. respondet quod praecipuum promulgari debet sicut lex, quia praecipuum non est mera interpretatio, sed determinatio legis.

Est Rev.mus Consultor qui ad can. 2 § 2 mallet aliquam breviorem redactionem et proponit ratione brevitatis ut dicatur tantummodo « ad peregrinos quod attinet standum est can. 14, § 2, n. 2 ».

Em.mus Card. Praeses proponit ut secunda vox « peregrini » sustituantur cum verbo « iidem »: placet omnibus.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut verba « quae determinant leges... etc. » sequenti modo mutentur « quae se referunt ad leges quibus iidem ligantur... etc. ».

Placet omnibus.

Rev.mus Consultor ad can. 2 § 2 petit ut mutentur verba primae lineae « Praecepta, de quibus in § 1, nisi expresse statuantur personalia... » quia est antithesis inter praecipua communia et personalia, et non videt quomodo dici possit « nisi expresse statuantur personalia ».

Alter Rev.mus Consultor ad vitandam confusionem proponit ut inveniatur vocabulum clarum pro praceptis communibus quia non videt

quaenam sit differentia secundum Rev.mus Secretarium Ad. inter legem et praceptum commune.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod pracepta communia habentur quando deficit aliquid elementum ad legem essentiale v. gr. communis capax legem recipiendi.

Ad canonem 3

Em.mus Card. Praeses proponit, latinitatis causa, ut verba « pracepta alia quam potestate regiminis quae data sunt » sequenti modo disponantur:

« Praecepta quae alia potestate quam regiminis data sunt ».

Placet omnibus.

Ill.mus Consultor quaerit cur in can. 1 § 1 sermo fiat de potestate exexecutiva et, e contra, in hoc canone de « potestate regiminis ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod qui habet potestatem regiminis habet quoque potestatem exexecutivam.

Est Rev.mus Consultor qui loco « potestas regiminis » praefert « publica potestas ecclesiastica»; haec formula habetur etiam in Codice orientali.

Ill.mus alter Consultor declarat:

« Il doit être bien entendu que les précepts émis par le juge sont des précepts émis en vertu d'une potestas exexecutiva et que par consequent ils ne cessent pas resoluto iure praecipientis. Ils ne doivent pas être compris dans la formule pracepta alia quam potestate regiminis data ».

Rev.mus Secretarius Ad. quaerit quid faciendum de illis praceptis quae non sunt data vi potestatis regiminis sed producunt effectum iuridicum, ex gr. pracepta data vi potestatis dominative; admissio in religionem valet ut contractus inter Superiorum et subditum religiosum; ergo producit effectum iuridicum.

Est Rev.mus Consultor qui ad rem animadvertisit admissionem in religionem idem esse ac admissionem in statum canonicum; itaque admissio in religionem est actus publicae potestatis. Notat quod Superior Religiosus non habet tantum potestatem privatam sed etiam publicam. Itaque dicendum est aliquid de praceptis quae non sunt ex potestate regiminis, sed habent effectus quoad ius subiectivum.

Ill.mus alter Consultor animadvertisit:

« Il est souhaitable de préciser que les pracepta quae alia quam potestate regiminis data sunt doivent être donné en forme iuridique, s'ils mettent en cause des droits subiectifs ».

DISCEPTATIO IN CANONES « DE PRAECEPTIS »
A REV.MO SECRETARIO AD. TERTIO PROPOSITOS

Textus canonum a Rev.mo Secretario A. propositus:

Canon 1

Praecepta, quibus applicationi normarum iuris prospicitur, dari possunt, infra fines suaे competentiae ab iis qui potestate gaudent exsecutiva.

Canon 2

§ 1. Praecepta vi potestatis regiminis singulis data, eos quibus dantur ubique ligant, nisi aliud constet; cessant resoluto iure praecipientis, nisi aliud expresse caveatur.

§ 2. Praecepta, de quibus in § 1, quibus personae obligatio impunitur aut eius ius coartatur, urgeri tantum valent, si legitimo documento ad normam iuris intimata fuerint.

Canon 3

§ 1. Praecepta communia, vi potestatis regiminis data, nisi expresse statuantur personalia, ligant subditos in territorio versantes tantum; peregrinos ea tantum obligant, quae se referunt ad leges quibus iidem ligantur ad normam can. 14 § 2, 2°.

§ 2. Praecepta communia non cessant resoluto iure praecipientis, nisi contrarium expresse caveatur.

§ 3. Ad praceptorum communium promulgationem et vacationem quod attinet, serventur praescripta can. 9 (de legibus).

Canon 4

Praecepta quae alia potestate quam regiminis data sunt, eos quibus imponuntur ubique ligant, et cessant resoluto iure praecipientis, nisi aliud constet; quae, si iura personarum subiectiva affiant, ad normam iuris imponi atque intimari debent.

DISCEPTATIO DE SINGULIS CANONIBUS

1. *Ad Canonem 1*

Placet omnibus uti est.

2. *Ad canonem 2*

Ad § 1: placet omnibus uti est.

Ad § 2

Rev.mus quidam Consultor proponit ut ponatur uti § 2 canonis 1.
Non placet.

Rev.mus secundus Consultor proponit vocabulum « iura » loco
« ius ». Non placet.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut in ultima linea dicatur « im-
posita » et intimata fuerint, uti dicitur in can. 4. Non placet.

Rev.mus quartus Consultor suggestit ut in ultima linea post voca-
bulum « documenta » adiungatur « necnon ». Placet omnibus.

Itaque textus placet omnibus cum suggestione Rev.mi quarti Con-
sultoris.

3. *Ad canonem 3*

Rev.mus quintus Consultor proponit ut dicatur in § 1 « subdi-
tos ligant » loco « ligant subditos ». Placet.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut verbo « obligant » substitua-
tur verbum « tenent » item verbo « ligantur » verbum « tenentur ».
Placet.

Textus canonis placet uti est cum suggestionibus ad § 1 Rev.morum
quinti et tertii Consultorum.

4. *Ad canonem 4*

Rev.mus secundus Consultor proponit ut verbum « sunt » in prima
linea deleatur. Non placet.

Ill.mus sextus Consultor proponit ut ex secunda parte canonis se-
cunda paragraphus conficiatur.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit igitur textum § 2 ut sequitur:
« quae praecepta, si iura personarum subiectiva affiant, ad nor-
mam iuris imponi atque intimari debent ».

Placet omnibus.

Ill. mus septimus Consultor proponit ut supprimatur verbum « subiectiva » quia iam dicitur « iura personarum ».

Placet omnibus.

Itaque textus erit:

§ 1. Praecepta quae alia potestate quam regiminis data sunt, eos quibus imponuntur ubique ligant, et cessant resoluto iure praecipientis, nisi aliud constet.

§ 2. Quae praecepta, si iura personarum affiant, ad normam iuris imponi atque intimari debent.

Ita explicit materia in hac sessione tractanda.

Determinatur materia pro proxima sessione huius coetus tractanda. Scilicet: redactio canonum de instructionibus, de decretis et de statutis, si quedam statui possunt normae.

N. PAVONI, *Actuarius*

APPENDIX TEXTUS CANONUM DE PRAECEPTIS

Canon 1

Praecepta, quibus applicationi normarum iuris prospicitur, dari possunt, infra fines suae competentiae, ab iis qui potestate gaudent exsecutiva.

Canon 2

§ 1. Praecepta vi potestate regiminis singulis data, eos quibus dantur ubique ligant, nisi aliud constet; cessant resoluto iure praecipientis, nisi aliud expresse caveatur.

§ 2. Praecepta, de quibus in § 1, quibus personae obligatio imponitur aut eius ius coarctatur, urgeri tantum valent, si legitimo documento necnon ad normam iuris intimata fuerint.

Canon 3

§ 1. Praecepta communia, vi potestatis regiminis data, nisi expresse statuantur personalia, subditos ligant in territorio versantes tantum;

peregrinos ea tenent tantum, quae se referunt ad leges quibus iidem tenentur ad normam can. 14, § 2, 2°.

§ 2. Praecepta communia non cessant resoluto iure praecipientis, nisi contrarium expresse caveatur.

§ 3. Ad praceptorum communium promulgationem et vacationem quod attinent, serventur praescripta can. 9 (de legibus).

Canon 4

§ 1. Praecepta quae alia potestate quam regiminis data sunt eos quibus imponuntur ubique ligant, et cessant resoluto iure praecipientis, nisi aliud constet.

§ 2. Quae praecepta, si iura personarum affiant, ad normam iuris imponi atque intimari debent.